



ex qua marinarii nostri mercimonia producebant, et negotiabantur cum Cypriis. Sic ubique fiebat in omni loco, ad quem applicuimus. Viso autem foro in galëam remeavimus ad Dominos et confratres nostros, eosque tristes et murmurantes invenimus pro eo, quod patronus nondum venerat, et taedio magno illo die affecti fuerant, et omnes peregrini ad nos congregabantur audire cupientes de his, quae videramus. Quibus auditis beatos nos dicebant, et dolebant se non fuisse nobiscum profectos.

Vicesima septima, cum videremus patronum tardare, iterum aliqui peregrini ducere se permiserunt ad litus, ut ibi diem deducerent, quorum ego unus fui. Major tamen pars peregrinorum in galëa remansit, timentes aërem cyprium, qui ut communiter nocivus est Theutonicis, nisi sint bene complexionati et fortes. Ideo nobiles cuti suae timentes Cyprum non ingrediuntur. In litore ergo existentes transivimus ad locum salinae, ubi ex ruinis comprehendimus olim civitatem non modicam stetisse. A tergo civitatis est locus collibus circumdatus, qui pro tempore mari intumescente aqua impletur, et fit quasi lacus, et dum mare iterum diminuitur, omnis aqua maris in loco illo remanens a sole in optimum et preciosum et albissimum sal decoquitur: et hoc sal venale ad multas regiones defertur, et regina Cyprum multam pecuniam inde recipit a mercatoribus salis. In prima mea peregrinatione vidi multos homines ibi laborantes in salis segregatione ab aquis nondum decoctis; et multi alti cumuli salis ibi erant sicut monticuli; sed jam non erat unus homo ibi, et ubi prius stabant salis cumuli, jam fuit aqua profunda. Itaque circa vespertas in galëam remeavimus et indignati contra patronum eramus. Eodem sero revenit mulier illa, quae in Rhodo remanserat imbarcata. De cujus ingressu parvum gaudium erat. Compatiebar tamen misellae propter angustias ejus ex recessu navis perpressas. (69 A)

Vicesima octava ante solis ortum venit patronus de Nicosia cum quibusdam Cypriis, loca sancta in Jerusalem visitare volentibus, inter quos erat una pretiosa mulier, de pedissequis reginae, quae intendebat vitam suam in Jerusalem finire circa loca sancta. Levatis ergo anchoris et navi soluta

193

191

197

187

202

182

242

142

292

092

Ende

Anfang